Karl August Gottlieb Keil

D. CAR. AVG. THEOPH. KEIL

THEOL. PROF. ORD.

THEOL. ORDINIS

H. T.

PROCANCELLARIVS

SOLEMNIA DISPVTATIONIS

CANDIDATI DOCTISSIMI

SVMMORVM IN THEOLOGIA HONORVM

EIVSDEMQVE

LICENTIATI ET DOCTORIS THEOLOGIAE

RENVNCIATIONIS

D. XV. AB H. II. ET D. XVI. IVN. AB H. IX.

IN AVDITORIO MAIORI

CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INDICIT

De doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias Theologiae liberandis

Commentatio III.

Continuandum nunc est, oblata iam noua scribendi occasione, coeptum ante hos tres annos doctores veteris ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias Theologiae liberandi institutum, cum id Viris doctis harumque rerum peritis non displicuisse intellexerim. Id tamen antequam facere adgredior, non inutile fuerit, lectores de consilio, in tractando hoc argumento mihi proposito, denuo admonere, quoniam, quanquam ipsa iam inscriptione libellorum de eo diuulgatorum id satis aperte mihi videbar declarasse, tamen quosdam vidi id non omnino esse assecutos. Nimirum hoc vnum tantum docere mihi nunc propositum fuit, quae doctores illi vulgo accusentur ex Platonica philosophia petiisse, inque doctrinam religionis christianae non sine magno eius detrimento parum caute intulisse, ea non fuisse primum ab illis in eam translata, sed maximam potius partem a Iudaeis tanquam dogmata in ipsis eorum libris sacris tradita ad eos transmissa, hincque, aperto licet plerumque errore, bona tamen fide, pro parte religionis diuinitus reuelatae ab iis habita et, vt talia, aliis etiam proposita. Annon vero Iudaei dogmata illa, quae in litem hic veniunt, ex Platonica philosophia vel ipsi hauserint, vel ex ea saltem hausta aliunde acceperint, id nunc quidem neque negare, neque adfirmare animus mihi fuit. Erit tamen, absoluta omni disputatione, quid mihi de hac etiam re vero proximum videatur, plura dicendi locus. Quanquam enim mecum primum constitueram, superiori commentationi, quae in examinando doctorum illorum de Λόγῳ dogmate versabatur,

 breuem

breuem aliquam disputatiunculam de fonte huius dogmatis subiicere; mutaui tamen hoc consilium, consultius fore arbitratus, si perorata demum vniuersa causa, in fontem omnium illarum opinionum, quae cum Platonica philosophia similitudinis aliquid habere visae sunt, et a Iudaeis iam ante religionis christianae origines susceptae fuerunt ac probatae, diligentius atque vberius inquisiuerim. Quare, missis iam his, in singulis potius sententiis, quae doctores nostri a Platone dicuntur petiisse, cumque christianae religionis dogmatibus inepte permiscuisse examinandis pergere nunc constitui.

Sequitur autem in serie harum sententiarum Comment. I. p. 33. enarrata caput de angelis, qui vulgo dicuntur, in quo, quae in Platonicarum sententiarum censum relata sunt, vel ad vniuersam Spirituum illorum naturam, vel ad bonos malosue nominatim pertinent. Quod nimirum vniuersam eorum naturam attinet, hoc dixerunt ex Platonica philosophia fluxisse,[1]) quod genios illos non simplicis naturae spiritus, vt nunc quidem statuitur, et nullo corpore indutos, sed corpore vtique praeditos esse, plerorumque fere inter doctores illos fuerit sententia. Atque haec sane adeo fuit inter eos peruulgata, vt non tam plerorumque, quam vnanimis omnium propemodum vsque ad mediae fere aetatis tempora sententia dicenda videatur. [2]) Vt tamen qualis ea fuerit, accuratius adhuc constet, ea primum ipsa paulo vberius erit explicanda.

Sedisse

1) Ita certe statuerunt Gottl. Wernsdorfius in *Exercit. historico-critica de commercio angelorum cum filiabus hominum ab Iudaeis et Patribus Platonizantibus credito*, (Viteb. 1742. 4.) §. 1. *pag.* 2. *ss.* itemque Bruckerus in *Histor. critic. philos. To. III. p.* 409. vbi Irenaeum saltem hanc ob causam Platonicarum hypothesium incaute admissarum culpae arguit, atque Iac. Ode, qui in *Comment. de Angelis, Sect. III. C.* 1. §. 9. *p.* 315. et §. 11. *p.* 319. de Origene et Augustino simili modo iudicat.

2) Id ipsum sibi etiam persuasum habuisse vidi Huetium in *Nott. ad Comment. Origen.* p. 85. vbi *corporeos esse*, inquit, *angelos patribus antiquis ipsisque adeo toti fere antiquitati persuasum fuit*, itemque Moshemium in *Nott. ad Cudworthi Systema intell. To. II. p.* 1099.

Sediſſe igitur doctoribus noſtris hanc ſententiam, genios illos, qui angeli plerumque vocantur, non eſſe corpore plane deſtitutos, exinde iam intelligi poterit, quod omnino iudicarunt, vnius Dei naturae id proprium eſſe, vt materiae plane expers ſit, omnique adeo corpore careat. Certe Origenes hanc ſententiam plus vno loco [3]) profeſſus eſt; in eademque etiam fuit Ioannes Damaſcenus, ita ſcribens: [4]) *πᾶν γὰρ συγκρινόμενον πρὸς θεὸν, τὸν μόνον ἀσύγκριτον, παχύ τε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται· μόνον γὰρ ὄντως ἄϋλον τὸ θεῖόν ἐστι καὶ ἀσώματον.* Enimuero non ex hac tantum eorum ſententia coniicere licet, eos angelos quoque aeque, ac omnes reliquas res creatas corpore praeditos iudicaſſe, cum id ipſum aperte etiam declarauerint. Neque tamen tale corpus tribui iis voluerunt, quale noſtrum eſt, ſed multo potius ſubtilius, idque aethereum aut igneum. Huius enim opinionis per omnia fere octo priora ſaecula diſerta et admodum perſpicua proſtant, cum graecae, tum latinae eccleſiae, doctorum teſtimonia, a multis iam illa collecta. [5]) Quare nos ex tanto eorum numero paucis modo commemorandis defungemur. Tatianus igitur in

 Orat.

3) V. c. in *libr. I. περ. ἀρχ.* c. 6. *Solius Dei, id eſt Patris, Filii et Spiritus S. naturae id proprium eſt, vt ſine materiali ſubſtantia et absque vlla corporeae adiectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere;* itemque *l. II. c.* 2 vbi haec habet: *Si vero impoſſibile eſt hoc vllo modo affirmari, id eſt, quod viuere praeter corpus poſſit vlla alia natura, praeter Patrem et Filium et Spiritum S. neceſſitas conſequentiae ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem creatas eſſe rationabiles naturas, materialem vero ſubſtantiam opinione quidem et intellectu ſolum ſeparari ab eis, et pro ipſis vel poſt ipſas effectam videri, ſed nunquam ſine ipſa eas vel vixiſſe, vel viuere. Solius namque Trinitatis incorporea vita exiſtere recte putabitur.* Similia his leguntur etiam *lib. IV.* c. 2

4) *De orth. fide lib. II. c.* 3.

5) Nominatim Suicero in *Theſaur. eccleſ. To. I. p. 36 ſ.* Huetio in *Origenian. p.* 71. et *Nott ad Origen p.* 85. Petauio *de dogm. theol. To. III de Angel. lib. I. c. 2. p. 3. ſſ.* Io. Chriſt. Loerſio in *Diſſ. de angelorum corporibus et natura*, (Duisb. 1719. 4.) *ſ. IX. p. 437. ſſ.* et, qui eum refutauit, Steph. Vito in *Schediaſm. Bibliotb. Brem. Theol. Phil. claſſ. VI. Part. III.* inſerto §. *16. 17. p. 455—464.* Iac. Odio in *Comment. de angelis, Sect. III. c. 1. § 9. pag. 314. ſſ.* et Celeb. Roeslero in *Philoſophia veteris eccleſiae de Spiritu* (Tubing. 1783. 4.) *p. 10. ſſ.*

Orat. contr. Graec. [6]) haec habet: *Δαίμονες δὲ πάντες σαρκίον μὲν ἐ κέκτηνται, πνευματικὴ δὲ ἐςὶν αὐτοῖς ἡ σύμπηξις ὡς πυρὸς, ὡς ἀέρος· μόνοις δὲ τοῖς πνεύματι Θεȣ̃ φρȣρȣμένοις εὐσύνοπτα καὶ τὰ τῶν δαιμόνων ἐςὶ σώματα, τοῖς λοιποῖς δὲ ἐδαμȣ̃, λέγω δὲ τοῖς ψυχικοῖς.* Origenes autem in *Commentar. in Matth.* [7]) de futura eorum, qui e mortuis resurrexerint, cum angelis similitudine ita iudicat: *ἐγὼ δὲ οἶμαι διὰ τȣ́των δηλȣ̃σθαι ὅτι ἐ μόνον κατὰ τὸ μὴ γαμεῖν, καὶ τὸ μὴ γαμεῖσθαι, ὡς οἱ ἐν τῷ ἐρανῷ ἄγγελοι γίνονται οἱ καταξιȣ́μενοι τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναςάσεως, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰ μετασχηματιζόμενα αὐτῶν τὰ σώματα τῆς ταπεινώσεως γίνεσθαι τοιαῦτα, ὁποῖα ἐςὶ τὰ τῶν ἀγγέλων σώματα, αἰθέρια καὶ αὐτοειδὲς φῶς.* Similia vero alibi etiam de eorundem angelorum corporibus tradit. [8]) Neque alia sunt, quae apud Basilium de eadem re leguntur, in hunc e. c. modum de angelis exponentem: [9]) *ἡ μὲν ἐσία αὐτῶν ἀέριον πνεῦμα, εἰ τύχοι, ἢ πῦρ ἄϋλον, κατὰ τὸ γεγραμμένον·* (Ps. CIII, 4.) *ὁ ποιῶν τȣ̀ς ἀγγέλȣς αὐτȣ̃ πνεύματα καὶ τȣ̀ς λειτȣργȣ̀ς αὐτȣ̃ πῦρ φλέγον. διὸ καὶ ἐν τόπῳ εἰσὶ, καὶ ὁρατοὶ γίνονται, ἐν τῷ εἴδει τῶν οἰκείων αὐτῶν σωμάτων τοῖς ἀξίοις ἐμφανιζόμενοι.* Verum abstineo iam plura graecorum Patrum testimonia excitare, cum ex Concilii Nicaeni II. Actis haud obscure adpareat, hanc vniuersae ecclesiae graecae hac de re sententiam fuisse. Certe in Ioannis Thessalonicensis Dialogo, qui Act. V. publice lectus et probatus fuit, haec occurrunt: [10]) *νοερȣ̀ς μὲν αὐτȣ̀ς* (nimir. angelos,) *ἡ καθολικὴ ἐκκλησία γινώσκει, ἐ μὴν ἀσωμάτȣς πάντη καὶ ἀοράτȣς, λεπτοσωμάτȣς δὲ καὶ ἀερώδεις, ἢ πυρώδεις, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ὁ ποιῶν τȣ̀ς ἀγγέλȣς αὐτȣ̃ πνεύματα καὶ τȣ̀ς λειτȣργȣ̀ς αὐτȣ̃ πῦρ φλέγον.*

6) §. 25. *pag.* 59. *edit. Worth.*

7) *To. I. p.* 488. *edit. Huet.*

8) V. c. *lib. II. περ. ἀρχ.* c. 2. vbi ita scribit: *Vt ergo superius diximus, materialis substantia huius mundi habens naturam, quae ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quosque trahitur, in crassiorem corporis statum solidioremque formatur, ita vt visibiles istas mundi species variasque distinguat; cum vero perfectioribus ministrat et beatioribus in fulgore coelestium corporum micat, et spiritalis corporis indumentis vel angelos Dei, vel filios resurrectionis exornat.*

9) *De Spir. S. c.* 16.

10) *Harduin. Concil. To. IV. p.* 294.

γον. Eandem vero ſententiam etiam poſt Concilii illius tempora adhuc obtinuiſſe non minus diſertis Theodori Studitae et Andreae Cretenſis, ſcriptorum Saec. IX. non ignobilium, teſtimoniis, ſi quidem opus nunc eſſet, doceri poſſet. [11]) Eadem vero apud latinos etiam Patres deprehenditur. Etenim Tertullianus quidem non dubitat angelis corpus aliquod tribuere, quanquam id ſui tantum, vt diſerte addit, generis ſit. [12]) Simili modo Auguſtinus etiam pluribus in locis de angelorum corporibus loquitur, vt cum v. c. haec aliquo loco [13]) ſcribit: *angelica corpora, qualia nos habituros ſperamus, lucidiſſima et aetherea eſſe, credendum eſt.* Alio vero loco [14]) docet, daemones ſ. genios malos, antequam peccaſſent, coeleſtia quidem corpora geſſiſſe, ſed poſtea poenae loco aëria eos accepiſſe; quod ipſum praeter Origenem, [15]) Minucius etiam Felix [16]) defendit. Vt vero his in locis ſuam de corporibus angelorum perſuaſionem aperte profeſſi ſunt doctores noſtri, ita eandem non minus perſpicue et hoc prodit, quod bonis quidem angelis Manna illud, quo Iſraelitae in deſerto olim alebantur, ſeducti nobili Pſ. LXXVIII, 27. dicto, cibi loco fuiſſe ſtatue-

11) Si cui ea inſpicere volupe fuerit, cognoſci poterunt ex Odii *Comment. de Angel.* l. l. pag. 316.

12) *De carne Chriſti c. 6.* vbi haec ſunt verba eius: *Conſtat angelos carnem non propriam geſtaſſe, vtputa natura ſubſtantiae ſpiritalis, et ſi corporis alicuius, ſui tamen generis.* Conferri etiam poterit *l. II. contr. Marc. c. 8. et lib. III. c. 9.*

13) *Libr. de diu. quaeſt. LXXXVII. quaeſt XLVII.* Similia occurrunt in *Enarrat. in Pſ. LXXXV. §. 17.* et *in Pſ. CXXV. §. 3.* itemque *de Geneſi ad litter. lib. II. c. 17.* et *l. IV. c. 5.* locisque pluribus.

14) De *Geneſi ad litter. lib. III. c. 10.* vbi haec habet: *Si transgreſſores illi, antequam transgrederentur, coeleſtia corpora gerebant, neque hoc mirum eſt, ſi conuerſa ſunt ex poena in aëriam qualitatem, vt iam poſſint ab igne, i. e. ab elemento naturae ſuperioris aliquid pati.*

15) De quo videndus inprimis Huetius in *Origen. lib. II. quaeſt. V. §. 7. p. 71.*

16) Profecto enim non alio, niſi huc ſpectat, quod in *Octau. c. 26.* de ſpiritibus malis dicit, *eos onuſtos et immerſos vitiis, ſimplicitatem ſubſtantiae ſuae perdidiſſe.* Eadem vero ſententia apud Rupertum quoque, Abbatem Tuitienſem, Saec. XII. ſcriptorem, *lib. I. de victor. verbi Dei c. 26.* et 28. adhuc deprehenditur.

tuerunt, [17]) malos vero, qui gentiles ad hanc, ex ipsorum opinione, erroris vanitatem seduxerant, vt diuinum sibi cultum exhiberent, sacrificiorum, quae ipsis offerantur, vaporibus et nidore vesci atque delectari docuerunt. [18]) Neutrum enim non nisi in naturam corpore praeditam cadere posse, vel me non monente intelligitur.

Cum his vero testimoniis, quae, vt equidem arbitror, satis perspicue declarant, corpora quidem subtiliora atque tenuiora angelis ex communi fere doctorum veteris ecclesiae sententia omnino fuisse tributa, facile tamen pugnare videantur tot alia vel eorundem, vel eiusdem saltem aetatis scriptorum loca, in quibus non minus diserte traditur, angelos corpore esse destitutos et ἀσωμάτους. Vt enim iam non commemorem Ignatii, quippe dubiae fidei scriptoris, locum in hanc rem laudatum, [19]) extant certe Eusebii, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Theodoreti, Io. Damasceni aliorumque testimonia in hanc rem admodum perspicua, [20]) quibus perducti plures, contrariam potius inter doctores illos sententiam obtinuisse, defenderunt. [21]) Verum salua profecto res est. Primum enim vel exinde, quod iidem interdum scriptores, diuersis in locis, et esse angelos corporibus

17) Cuius rei testes v. c. sunt Iustinus Mart. in *Dial. c. Tryph.* §. 57. *p. 154. edit. Bened.* vbi haec habet de angelis: καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δῆλον ἐστὶν ἡμῖν, τρεφόμενοι κἂν μὴ ὁμοίαν τροφὴν ἥπερ οἱ ἄνθρωποι χρώμεθα, τρέφονται· περὶ γὰρ τῆς τροφῆς τοῦ μάννα ἣν ἐτράφησαν οἱ πατέρες ὑμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡ γραφὴ οὕτω λέγει, ὅτι ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγον; itemque Clemens Alex. *Paedag. lib. I. c. 6. p. 122. Pott.* ita scribens: οἷον τὸ μάννα οὐρανόθεν ἀπεῤῥέετο τοῖς παλαιοῖς Ἑβραίοις, ἡ τῶν ἀγγέλων ἐπουράνιος τροφή; denique etiam Tertullianus *adu. Iudaeos, c. 3. Opp. To. II. p. 280.* edit. Seml. et *de carn. Chr. c. 6. Opp. To. III. p. 358.* vbi haec sunt verba eius: *legimus manna esui populo fuisse; Panem, inquit, angelorum edit homo.*

18) Quod plura docent Iustini Mart. Athenagorae, Tatiani, Origenis, Tertulliani et aliorum loca, quae omnia collegit iam Petau. *l. l. de Angel. l. III. c. 1. §. 2. ss. p. 84. ss.*

19) Ex *Epist. ad Trall.* §. 9. vbi angelos ἀσωμάτους φύσεις adpellat.

20) Quae studiose collegit Petavius *l. l. l. I. c. 3. pag. 7. ss.* et post hunc Steph. Vitus *l. l.* atque Iac. Ode *l. l. §. 12. pag. 319.*

21) Quorum ex numero vnum modo Suicerum in *Thesaur. Eccl. l. l.* nunc commemorasse sufficiat.

poribus praeditos et non esse professi sunt, satis iam adparere arbitror, vtrumque ex eorum quidem sententia bene inuicem consistere potuisse, quoniam alioquin ipsi apertissime sibi contradixisse censendi forent. Sic Origenes v. c. quem in locis supra excitatis angelis plus vna vice corpora vidimus tribuisse, tamen aliis in locis eos corporeae naturae esse diserte negat.[22]) Hinc profecto necesse est, vt vtrumque eum diuerso sensu dixisse iudicemus, nisi secum ipsum eum pugnasse statuere velimus. Hoc autem eum ex vsitata tum dicendi ratione vtique facere potuisse, facile poterit demonstrari. Etenim dudum obseruatum est a viris doctis,[23]) vocabulum *ἀσώματον* saepenumero sensu populari de eo vsurpari, quod corpore crassiori est destitutum, adeoque non potest manibus prehendi atque teneri. Neque temere hoc eos monuisse, ipsa Origenis auctoritate potest confirmari. Etenim in prooemio libri *περὶ ἀρχῶν* dictum aliquod ex libro: *Doctrina Petri*, inscripto, affert, quo Christus discipulis suis dixisse traditur, se non esse *δαιμόνιον ἀσώματον*, iamque de sensu huius vocabuli haec addit: *Non idem sensus ex isto sermone ἀσωμάτȣ indicatur, qui Graecis vel gentilibus auctoribus ostenditur, quum de incorporea natura a philosophis disputatur. In hoc enim libello incorporeum daemonium dixit pro eo, quod ipse ille, quicunque est, habitus vel circumscriptio daemonici corporis, non est similis huic nostro crassiori, vel visibili corpori: sed secundum sensum eius, qui composuit illam scripturam, intelligendum est, quod dixit, non esse tale corpus, quale habent daemones, quod est naturaliter subtile et velut aura tenue et propter hoc vel imputatur*

22) E. c. *contr. Cels. l. VI*, c 8. vbi ἡμεῖς, inquit, *ἀσώματον ȣσίαν ȣκ ἴσμεν ἐκπυρȣμένην, ȣδ᾽ εἰς πῦρ ἀναλȣμένην τὴν ἀνθρώπȣ ψυχὴν, ἢ τὴν ἀγγέλων ἢ θρόνων, ἢ κυριοτήτων, ἢ ἐξȣσιῶν ὑπόςασιν*; et *l. IV. περ. ἀρχ.* c. 2, vbi haec habet: *Sed et rursum per Christum creata dixit omnia visibilia et inuisibilia, per quod declaratur esse etiam in creaturis quasdam inuisibiles secundum proprietatem suam substantias. Sed hae quamuis ipsae non sint corporeae, vtuntur tamen corporibus, licet ipsae sint corporea substantia meliores.* Plura loca collegit Huetius in *Origen. lib. II. quaest. V. § 4. p. 69.*

23) Nominatim Huetio *l. l. p. 70. §. 5.* et in *Nott. ad Orig. Comment. p. 85.* inprimis vero Moshemio ad *Cudworth. To. II. p. 1019. 1092. et 1100.*

putatur a multis, vel dicitur incorporeum, sed habere se corpus solidum et palpabile. In consuetudine vero hominum omne, quod tale non fuerit, incorporeum simplicioribus vel imperitioribus nominatur: velut si quis aërem istum, quo fruimur, incorporeum dicat, quandoquidem non est tale corpus, vt comprehendi ac teneri possit, vrgentique resistere. [24]) Eodem igitur sensu doctores nostri vocabulo *ἀσωμάτε* et tum vsi fuisse censendi erunt, cum ad angelos id transferunt, adeoque id vnum eo significare voluisse putandi sunt, eos non esse crassiori corpore praeditos, quale nostrum sit. Hoc autem eos iure defendere potuisse, sua profecto sponte adparet, cum subtilissimum modo, vt paulo ante docui, corpus iis tribuerint. Atque hoc quidem modo antiquioribus iam temporibus de sensu huius vocabuli angelis a nonnullis tributi constituendo iudicatum esse intelligimus. Ioannes enim Thessalonicensis in dialogo illo, quem supra iam in Concilio Nicaeno II. publice dixi praelectum fuisse, diserte haec professus est: *εἰ δὲ πε εὕροις ἀσωμάτες καλεμένες τὲς ἀγγέλες ἢ δαίμονας, ἢ ψυχὰς, ὡς μὴ ὄντας ἐκ συμμίξεως τῶν ὑλικῶν τεσσάρων ϛοιχείων, καὶ τοιαῦτα σώματα παχέα καὶ ἀντίτυπα οἷα ἡμεῖς περικείμεθα, ὅτως αὐτὲς προσηγόρευσαν.* Neque profecto vana est viri illius explicatio, cum ipsi illi scriptores, qui spiritibus illis corpus vel tribuunt, vel denegant, saepenumero diserte admoneant, eos hominum quidem ratione habita, corpore destitutos dicendos esse, si autem Dei ratio habeatur, corpus iis vtique esse tribuendum. Sic apud Caesarium quidem haec leguntur: [25]) *ἀσώματοι μὲν οἱ ἄγγελοι καθ' ἡμᾶς· σῶμα δὲ καθ' ἑαυτὲς, ὡς ἄνεμος, ἢ πῦρ, ἢ καπνὸς, ἢ ἀήρ· σώματα γὰρ ὑπάρχουσι λεπτὰ, καὶ ἄϋλα, ἔξω τῆς ἡμετέρας παχύτητος. σώματα γὰρ ἐπεράνια καὶ σώματα ἐπίγεια, Φησὶν ὁ ἱερὸς ἀπόϛολος.* Ioannem vero Damascenum, postquam *ἄγγελον ἐσίαν ἀσώματον* esse monuerat, [26]) haec statim videmus subiecisse: *ἀσώματος δὲ λέγεται*

24) His similia plane sunt, quae Psellus in *Dial. de operat. daemon. p.* 33. habet: *καὶ τοῖς ἡμετέροις,* inquiens, *καὶ τοῖς θύραθεν εἰωθὸς ἐϛὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων σώματα λέγειν, ὃ δὲ λεπτομερὸν ἐϛὶ καὶ τὴν ὄψιν διαφυγάνον καὶ τὴν ἁφὴν, ἀσώματον ὂ μόνον οἱ καθ' ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ πολλοὶ τῶν ἐκτὸς ἀξιῦσι λέγειν.*

25) *Dial. I. Interr. 48.*

26) *De orth. fide l. II. c. 3.*

γεται καὶ ἄϋλος, ὅσον πρὸς ἡμᾶς. Neque alia ſunt, quae apud Theodorum Studit. [27]) Claudianum Mamertum, [28]) Gregorium M. [29]) et alios leguntur. Hinc ergo ex eo, quod ἀσωμάτȣς quidam dixere angelos, nullo profecto modo cogi poterit, eos omni illos natura corporea deſtitutos indicaſſe; idque praeter argumenta iam allata Macarii etiam loco quodam [30]) confirmatur, quo homines per Dei gratiam conuerſos angelis ἀσωμάτοις ſimiles olim futuros eſſe declarat, et tamen ſimul corpus, licet leuiſſimum atque tenuiſſimum modo, iis tribuit, his quippe verbis vſus: ἄλλοτε γίνονται, ὥσπερ ἄγγελοι ἀσώματοι, ἐν τοσαύτῃ κουφότητι καὶ ἐλαφρότητι ὄντες μετὰ τȣ̃ σώματος. Neque vero maiori iure idem inde effici poterit, quod πνεύματα, itemque νόες et νοητοὶ aut νοεροὶ interdum adpellantur, cum nec his vocabulis pro meris eos ſpiritibus declarari, facile poſſet doceri, niſi otium mihi ea in re abunde iam feciſſet Moshemius, [31]) qui veriſſime profecto iudicauit, nullum poſſe ex quatuor prioribus ſaeculis ſcriptorem produci, qui angelos meros ſpiritus eſſe aperte docuerit.

Iam vero nouam vidi hic quaeſtionem a viris doctis motam fuiſſe, vtrum nimirum ſpiritus illos mera corpora aetherea eſſe iudicauerint doctores noſtri, an vero eos pro naturis potius corpore et animo praeditis habuerint? Hac autem de re vt Saec. V. iam temporibus Fauſtum Regenſem inter et Claudianum Mamertum controuerſiam fuiſſe nouimus, [32]) illo quidem priorem, hoc autem

27) In *Antirrhet. III. adu. Iconomach. c. 47.* vbi haec ſunt verba eius: τῇ παραβολῇ τȣ̃ παχυμερȣ̃ς σώματος ἡ τῶν ἀγγέλων φύσις ἀσώματος· τῇ δὲ συγκρίσει τῆς θεότητος ȣ̓κ ἀσώματος, οὐδὲ ἀπερίγραπτος.

28) *De ſtatu anim. lib. III. c. 7. Satis, vt arbitror, patet, beatos angelos vtriusque ſubſtantiae et incorporeos eſſe in ea parte, ſub qua viſibilis Deus eſt, et in ea itidem parte corporeos, qua hominibus ſunt viſibiles; quia nec Deus ab angelo per corpus, nec angelus ab homine ſine corpore videri poteſt.*

29) *Moral. l. II. c. 2.* vbi angelos cenſet *comparatione corporum noſtrorum ſpiritus eſſe, ſed comparatione illius ſummi et incircumſcripti ſpiritus corpora eſſe dicenda.*

30) *Homil. XVIII. p. 282. edit. Prit.*

31) In *Nott. ad Cudworth. To. II. p. 1099. ſſ.*

32) Diſceptata eſt haec controuerſia peculiaribus ſcriptis vtrimque editis,

autem posteriorem sententiam defendente; ita recentioribus etiam temporibus in hac quaestione definienda in diuersas viri docti sententias abiere. Huetius quidem neutiquam statuit, angelos ex Origenis sententia mere corporeos esse, vt falso eum accusauit Cudworthus, [33]) iure hac in re a Moshemio reprehensus, [34]) sed omnino potius fassus est, eum animam quoque praeter corpus iis adhuc tribuisse; at hanc tamen sententiam caeteris eius placitis parum consentaneam esse, quanquam et hoc, vt non minus recte obseruauit Moshemius, perperam iudicauit. [35]) Simili modo Cudworthus etiam ipse, [36]) et Bruckerus, [37]) cumque his alii etiam plures, Origenem non minus, quam caeteros doctores veteres vtrumque, cum animam, tum corpus, in angelis agnouisse defenderunt. Moshemius vero Origenem quidem et Augustinum incertos hac in re atque dubios fuisse statuit, [38]) Tertullianum autem angelos totos sibi persuasit [39]) corporeos iudicasse, idque ipsum alibi [40]) maximam quoque dixit reliquorum doctorum veterum partem statuisse, similique modo Roeslerus etiam parum se abesse nuper professus est, [41]) quin *veteres pro substantiis materialibus angelos omnes habuisse* existimet. Verum de

tis. Faustus quidem libellum *de creaturis, quod in iis nihil sit incorporeum*, edidit, in quo statim ab initio haec de Patrum sententia tradit: *Nonnulli eruditissimi Patrum alia asserunt esse inuisibilia, alia vero incorporea. Quicquid creatum est, materiam videri et factori suo comprehensibile et corporeum esse definiunt. Nam et animarum et angelorum naturam asserunt esse corpoream pro eo, quod initio circumscribantur et spatio.* Huic autem scripto Claudianus Mamertus tres libros *de statu animae* opposuit, in quibus *lib. III. c.* 7. de angelis haec nominatim habet, quae paulo ante not. 28. commemoraui. Vtriusque scripti summa cognosci poterit ex Crameri *Continuat. Operis Bossuet. To. V. Vol. II. p.* 276. *ss.* et Roesleri *Biblioth. PP. Vol. X. pag.* 312. *ss.* et *p.* 335. *ss.*

33) In *System intell. To. II. cap. V. S. III.* §. *34. p. 1084.*

34) L. L. *p. 1085. not.* 4.

35) In *Origen. l. II. qu. 5.* §. *6. pag. 70.*

36) L. L.

37) In *Histor. crit. Philos. To. III. p.* 447.

38) In *Nott. ad Cudworth. To. II. p. 1085. not. 4* et *p. 1089. not. 3.*

39) *Ibid. p. 1088. not. 1. N. III.*

40) *Ib. p. 1091. not. 6.*

41) In *Philosophia veteris ecclesiae de Spiritu, p. 18.*

de huius iudicii veritate mihi quidem nondum potuit persuaderi; imo contrarium potius defenderim, eos vtique naturam aliquam substantia corporea, vt Origenis verbis vtar, [42]) meliorem et a corpore, quo eam circumdatam iudicabant, diuersam in angelis admisisse, licet lubenter concesserim, et hanc eos non ab omni prorsus materia remotam iudicasse, cum nihil plane, quod creatum sit, ea simplicitate gaudere statuerint, quae vni Deo conveniat. [43]) Origenis certe hanc sententiam fuisse, nemo poterit dubitare, qui, vt alia eius rei testimonia nunc omittam, vel vnum illum locum cogitauerit, quo Bruckerum iam ad illam ei vindicandam l. l. vsum esse deprehendi; quique ita habet: [44]) *Semper erunt rationabiles creaturae, quae indigent indumento corporeo; semper ergo erit natura corporea, cuius indumentis vti necesse est rationabiles creaturas. Nisi quis putet, se posse ostendere, quod natura rationabilis absque vllo corpore vitam degere possit. Sed quam difficile id sit et quam prope impossibile intellectui nostro, in superioribus ostendimus.* Nonne enim hic rationabilem creaturam a corporeo eius indumento aperte distinguit? Quod vero Huetius dubium hic mouet, necesse esse monens, vt, si haec eius sententia fuisset, tenue corpus ab alio longe tenuissimo et simplicissimo animatum esse, statuerit, id profecto perquam exigui momenti esse arbitror. Quidni enim ita statuerit, cum id ipsum in homine etiam admiserit non tantum Origenes, sed alii etiam, qui, vt infra pluribus docebitur, nec hominis animum ab omni plane materiae societate seiunctum iudicarunt, adeoque et hic corpus tenue crassiori cinctum atque circumdatum esse statuerunt? Eandem vero, quae Origenis fuit, reliquorum etiam doctorum de natura angelorum sententiam fuisse, ex locis ipsorum in superioribus allatis satis perspicue intelligi posse arbitror, hincque non ausim equidem, quod licere sibi indicauit

 Roes-

42) In loco *libr. IV.* περ. ἀρχ. *c.* 2. supra not. 20. iam laudato.

43) Hinc Origenes quidem in loco illo, cuius modo mentionem inieci, verbis not. 20. allatis haec statim subiicit: *Illa vero substantia Trinitatis neque corpus, neque in corpore esse credenda est, sed in toto incorporea.*

44) *Lib. II,* περ. ἀρχ. *c.* 2.

Roeslerus, [45]) Fulgentii Ruspensis, Saec. VI. scriptoris, testimonium reiicere, falsitatisue arguere, qui doctorum hac de re sententiam his verbis exponit: [46 a]) *Plane ex duplici angelos esse substantia adserunt magni et docti viri, id est, ex Spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod ex tempore hominibus adparent, adprobantes hoc ex illo loco Psalmi, ubi dicit: qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem vrentem.*

Hanc igitur doctorum nostrorum sententiam, quam mihi nunc satis videor illustrasse, ex Platonica volunt eos Philosophia petiisse. Nam Platonem quoque, aiunt, daemones statuisse, qui medii sint inter Deum et homines, corporibusque, non quidem crassis, sed subtilioribus tamen, praediti. [46 b]) Verum si et hic ostendi poterit, eandem de aethereis angelorum corporibus sententiam Iudaeis quoque fuisse probatam, non putem equidem iure me reprehendi posse, si ab his potius, tanquam doctrinam ipsa librorum suorum sacrorum auctoritate confirmatam, nostros eam accepisse defendero. [47]) Iam vero eandem Iudaeos quoque tenuisse, si quidem eius rei testis requiratur scriptor nostris doctoribus antiquior, non facile poterit praeter Philonem alius commemorari, cum, quanquam, quae praeterea de angelis statuerint Iudaei, sat multorum scriptorum testimoniis constet, huius tamen rei nullus disertam mentionem iniecerit. Philo autem, licet spiritus istos et ipse multis in locis ἀσωμάτυς esse defen-

45) In Dissert. aliquoties iam laudata *de Philosophia veter. eccles. de Spiritu*, pag. 19.

46a) In *libr. de Trinit. c. 8.*

46b) Cuius sententiae eius ipsi quoque doctores nostri mentionem subinde iniiciunt. Sic Minucius Felix v. c. in *Octau. c. 26. §. 11.* de ea haec habet: *Et in Symposio etiam suo naturam daemonum exprimere connititur: vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis et coelestis leuitatis admixtione concretam.* Similia de eo etiam narrat Augustinus *lib. VIII. de ciuit. Dei, c. 14.* Loca Platonis ipsa commemorauit praeter alios Cl. Tennemann in *System der Platonisch. Philosophie, Vol. III. p. 163.*

47) Quod ipsum defendit iam Buddeus in Diss. *de haeres. Valent.* subiecta *Historiae philos. Ebraeor. p. m 704.* cuius tamen sententiam refutare studuit Gottl. Wernsdorfius in *Commentat. supr. laud. p. 4.*

defendat, [48]) id tamen non nisi sic videtur intellectum voluisse, quod non sint tali corpore praediti, quale est hominum corpus. Neque enim ab omni plane materia illos eum alienos iudicasse, inde forsitan non immerito colligi poterit, quod aërem iis constanter tanquam domicilium adsignat, eosque in eo dicit volitare, [49]) ita tamen, vt sensibus hominum minime pateant. [50]) Atque hunc quidem ab iis habitari, tam certo sibi persuasum habuit, vt hinc adeo doceri posse existimaret, esse tales spiritus, quales angeli dicuntur, quod non probabile sit, aërem, qui omnibus animantibus vitam impertiat, ipsum esse animantibus destitutum. [51]) Quae cum ita sint, quis tandem sibi persuadeat, naturas certo loco adstrictas, omni plane materia destitutas eum iudicasse? Accedit vero et hoc, quod angelos istos imagines ex mundi intelligibilis ideis expressas esse statuit; [52]) adeoque ad mundum visibilem pertinere iudicauit, hunc autem omnino σώ-

μασιν

48) De *sacrif. Abel. et Cain.* **T. I.** *p. 164. edit. Mang.* vbi ἄγγελοι γὰρ, inquit, στρατός εἰσι θεοῦ, ἀσώματοι καὶ εὐδαίμονες ψυχαί. It. *de confus. ling.* **T. I.** *p. 431.* vbi, haec sunt verba eius: ἔστι καὶ κατὰ τὸν ἀέρα ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερώτατος χορὸς, ὀπαδὸς τῶν οὐρανίων· ἀγγέλους γὰρ τὰς ψυχὰς ταύτας εἴωθε καλεῖν ὁ θεσπιωδὸς λόγος.

49) Sic v. c. in loco super. not. ex *libr. de confus. lingu.* iam laudato de illis ψυχαῖς ἀσωμάτοις haec habet pag. 432. αἱ κατὰ τε ἀέρα καὶ οὐρανὸν περιπολοῦσι. Aliis vero in locis eos in summo nominatim aëre dicit versari: v. c. *de plant. Noë p. 331.* **To. I.** ἀνωτάτω δ' εἶναι πρὸς αὐτῷ τῷ αἰθέρι τὰς καθαρωτάτας, ἃς οἱ μὲν παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες ἥρωας καλοῦσι· Μωϋσῆς δὲ ὀνόματι εὐθυβόλῳ χρώμενος, ἀγγέλους προσαγορεύει; haecque eadem leguntur etiam in libr. *de mundo*, **To: II.** *p. 604.*

50) *De plant. Noë, pag. 331.* Διττὰ δ' ἔν τε γῇ καὶ ἀέρι γένη ὁ ποιῶν ἐποίει· ἀέρι μὲν τὰ πτηνὰ αἴσθητα καὶ δυνάμεις ἄλλας αἰσθήσει οὐδαμῇ οὐδαμῶς καταλαμβανομένας. Quibus simillima sunt, quae leguntur in libr. *de mundo*, l. l.

51) In quam rem vid. quae disputat in libr. *de gigant.* **T. I.** *p. 263.* et de *somn. p. 641.* vbi inter alia haec dicit: οὐ γὰρ μόνον ἐκ πάντων ἔρημος οὗτος, ἀλλ' οἷα πόλις εὐανδρεῖ, πολίτας ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους ἔχων, ψυχὰς ἰσαρίθμους ἄστροις.

52) Ita eos certe adpellat in libr. *de somn.* **To. I.** *p. 638.* vbi postquam primum mentionem iniecerat τῶν ἀρχετύπων καὶ ἀσωμάτων ἀκτίνων τῆς λογικῆς πηγῆς τοῦ τελεσφόρου θεοῦ, iis deinde subiicit τοὺς ἐκείνων εἰκόνας, ἀθανάτους λόγους, οὓς καλεῖν ἔθος ἀγγέλους.

μασιν ὁρατοῖς constare professus est. [53]) Quod ne quis existimet de angelis propterea non posse valere, quoniam hos alibi dicat sensu a nobis non esse percipiendos, tenendum erit, eum vocabulum *ὁρατȣ̃* saepe etiam de rebus animo tantum, cui acutissimum visum tribuit, cognoscendis, [54]) adhibere. Quae si recte sunt disputata, facile adparet, nec Philonem alio sensu spiritus illos *ἀσωμάτȣς* dixisse, quam quo supra vidimus doctores christianos idem de iis praedicasse, adeoque eandem cum his Iudaeos quoque sententiam hac de re fouisse. Verum hic tamen aliquis obiiciat, hanc forsitan Philonis tantum propriam fuisse sententiam, neque ex his eius testimoniis recte concludi posse, eandem reliquis etiam ipsius popularibus fuisse probatam. At enimuero et hoc fuisse, inde equidem putem intelligi posse, quod eadem sententia apud Talmudistas quoque et Cabbalistas multosque etiam seriorum doctorum iudaicorum deprehenditur, qui quippe omnes angelis corpora subtilissima, ex igne fere atque aëre constantia, tribuerunt. [55]) Praeterea vero nescio, annon eandem sententiam illud etiam prodat, quod Paraphrastes Chaldaeus verba Ps. LXVIII, 18. רכב אלהים רבתים ita interpretatus est: ארתיכין דאלהא תרין רבבן דנור דליק, *currus Dei duae myriades ignis ardentis.* Neque vana etiam esse videtur Spenceri coniectura, qua huius ipsius opinionis vestigia in nomine etiam *Vriel*, angelorum alicui a Iudaeis tributo sibi reperisse visus est. [56]) Vt taceam

53) Vt adparet ex libr. *de confus. ling. T. I. p. 431.* vbi *δι' αὖ τȣ́των*, inquit, *τῶν δυνάμεων ὁ ἀσώματος καὶ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, τὸ τȣ̃ φαινομένȣ τȣ̃δε ἀρχέτυπον, ἰδέαις ἀοράτοις συςαθεὶς, ὥσπερ ȣ̃τος σώμασιν ὁρατοῖς.*

54) De qua re conferendus inprimis est locus *de migr. Abrah. To. I. p. 443. ss.*

55) Quorum testimonia collegit Buddeus in *Histor. Philos. Hebraeor. p. m 418. ss.* et Iac. Ode in *Commentar. de Angel. S. III, c. 1, § 5. 6. pag. 312.* Praeterea vero conferri etiam poterunt, quae de opinionibus Iudaeorum de vniuersa spirituum natura scripsit Beausobre in *Histoire de Manicheisin. T. I. l. III. c. 10. pag. 587. ss.*

56) *De legibus Hebr. l. III disp. VII. c. 3. sect. 3. §. 5.* Statuit nimirum, id nomen idem significare, ac *ignem*, vel *lumen Dei fortis.* Alias tamen Rabbinorum huius nominis explicationes vid. in Buxtorfii *Lex. chald. et talmud. pag. 46.*

taceam iam illud, quod de malorum geniorum peccato iidem Iudaei diu iam ante Christi tempora, vt in sequentibus docebitur, statuerunt, eos nimirum cum filiabus hominum concubuisse, prolemque ex iis genuisse. Hac enim de re profecto vix videtur iis persuaderi potuisse, nisi eos corpore aliquo circumdatos fuisse existimauerint. Haec autem si in vnum omnia colligantur, profecto non videtur dubitari posse, inter Iudaeos iam hanc de corporibus angelorum sententiam obtinuisse; omninoque frequentissimae illae de angelis, hominibus conspicuis factis, narrationes, quae in V. T. libris occurrunt, facile etiam videntur eos ad hanc persuasionem potuisse deducere. 57) Si autem Iudaeis iam, cum ante, tum post Christi tempora, probata fuit haec sententia, quae subtiliora angelis corpora adsignat, quidni ab his potius, quam a Platone eam sententiam susceperint Christianorum doctores? praesertim cum omnino constet, eos plura etiam alia in hoc de angelis loco ab iisdem esse mutuatos, cumque ea praeterea ipsa quoque librorum sacrorum auctoritate iis videretur confirmari. Nam et in his eos huius sententiae vestigia sibi visos esse reperisse, ex locis eorum in superioribus allatis a lectoribus sponte iam obseruatum fuisse arbitror, in quorum quippe pluribus diserte ad locum Ps. CIII, 4. comprobandae igneae atque aëreae angelorum naturae causa prouocant. 58) Et quanquam in illis angelorum adparitionibus, quae in V. T. libris narrantur, non quidem propriis eos corporibus se videndos praebuisse defendunt, tamen nec de assumto aliquo corpore loquuntur, sed vel formam aliquam hominum oculis obuiam iis circum-

57) Praesertim si ea expendantur, quae hanc in rem scripsit ignotus libri, qui nuperrime prodiit, auctor: *Theologie des A. T. oder Abriß der religiösen Begriffe der alten Hebräer*, §. *85. pag. 177.*

58) Plurium scriptorum, qui hoc loco nituntur, testimonia collegit Huetius in *Origen. l. l.* §. *9. pag. 72.* Praeter hunc vero locum aliis quoque Scripturae locis quibusdam nostros ad hanc sententiam recipiendam adductos fuisse, docet Cudworthus *l. l. To. II. p. 1093. ss.*

circumdatam fuiſſe tradunt, [59]) vel ipſum adeo **μετασχηματισμὸν** commemorant. [60])

Verum ſiſtendus iam eſt gradus veniendumque ad id, quod horum ſcribendorum anſam praebuit. Adiit nimirum nuper Ordinem Noſtrum Vir Maxime Reuerendus et de eccleſia Lipſienſi per multos iam annos meritiſſimus

CHRISTIANVS SAMVEL WEISSE,

ARTIVM MAGISTER, THEOLOGIAE BACCALAVREVS
ET AD AEDEM D. NICOLAI DIACONVS,

petiitque ab eo, vt primis in Theologia honoribus, pluribus abhinc annis in ſe iam collatis, nunc medii etiam et ſummi adderentur. Quibus precibus eius cum Ordo Noſter non modo propter multiplicem ipſius doctrinam, ſed magnam etiam in gerendo munere ſibi demandato fidem, multis illam documentis teſtatam, lubenter annuerit; in eo nunc eſt Candidatus, vt, exhibitis pluribus iam ſcientiae theologicae ſpeciminibus, quae mos antiquus illorum honorum Candidatis exhibenda ſanxit, vltimum adhuc edat, diſputationemque a ſe conſcriptam publice defendat. Qua de re antequam plura ad lectores refero, exponendum primum eſt pro more conſueto de vita Candidati laudabiliter hactenus transacta; id quod ipſis eius verbis vſus faciam:

Trans-

59) In hunc modum rem deſcribit v. c. Theodoretus *in Cap. I. Zachar.* vbi ὁρῶνται, inquit, αὐτῶν οὐχ αἱ φύσεις· ἀσώματοι γὰρ αὗται· ἀλλὰ κατὰ χρείαν ἑκάστην ἐκτυποῖ τούτων τὴν θεωρίαν ὁ τούτων καὶ τῶν ἁπάντων δεσπότης. — Οὐ πολύμορφοι ἀλλ᾽ ἀσώματοι αἱ νοηταὶ φύσεις, πρὸς δὲ τὸ χρήσιμον ὁ τούτων δεσπότης σχηματίζει τὰς θεωρίας.

60) Cuius rei teſtis eſt Io. Damaſcenus, qui *de orthod. fid. lib. II. c. 3, pag. 70.* haec habet: μετασχηματίζονται οἱ ἄγγελοι πρὸς ὅπερ ἂν ὁ δεσπότης κελεύσοι Θεός· καὶ οὕτω τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφαίνονται καὶ τὰ θεῖα αὐτοῖς ἀποκαλύπτουσι μυστήρια.

Transiit nomen Weissianvm *e stirpe* Alborum *in Bohemia, procul dubio iamiam Io. Hussi tempore florente, ex hac, in montana Saxoniae; mutatumque mox esse videtur in germanicum nomen. Admirandam Dei prouidentiam non potui non in istorum hominum ingenuorum admodum laudando consilio relinquendi domesticos lares, quaerendique cum vitae periculo fidei professionis libertatem, pridem et ipse admirari. Et quomodo non repetita saepius huius animorum paternorum fortitudinis memoria, in me quoque tenendae firmiter purioris religionis amorem excitare mature atque confirmare indies debuerit? Pii enim isti maiores mei doctrinae euangelicae amore ducti, asylum sibi quaesiuerunt in confiniis antiquae satis vrbis Zwickauiae, atque in ipsa tandem vrbe hac domicilium posuerunt, munera honoresque repererunt, ita vt proauus et abauus nominatim mihi innotescere possent, per ea, quae de suae vitae cursu et ortu, scriptis reliquit auus meus,* Christianvs Weissivs. *In hoc auo meo admodum conspicua facta est prouida cura Dei, quae eo res eius perduxit, vt, posteaquam Lipsiae sacras litteras coluerat diligenter, atque ad ipsius academiae nostrae honores accessum sibi parauerat disputando bis, annis, tertio et quinto post nonagesimum, praeter spem atque opinionem Torgauiam; ex eadem vero, non incelebri Saxoniae vrbe, in celebriorem Lipsiam ad officium sacrum ibi gerendum, ad aedem d. Nicolai, vocaretur, anno sec. sup. vltimo. Noui seculi quarto et decimo anno ad Pastoris Thomani dignitatem euectus, decemque annis post summos in Theologia honores consecutus est. Ex altera vxore, Bohnia, susceperat interea anno huius seculi tertio filium* Christianvm, *qui maturo eoque indefesso in litteras amore ac studio, omninoque vltra quam ferre corporis paullo infirmioris natura, animique vires viderentur ita euolauit quasi ad munera dignitatesque academicas pariter atque ecclesia-*

ſticas, itaque de vtraque meritus eſt, vt ab omnibus amaretur; matura vero etiam morte, anno aetatis vix vndequadrageſimo ſuperato, ſuis proh dolor! eriperetur.

Natum is me, ineunte anno duodequadrageſimo, e pluribus vnum ſuperſtitem filiolum vix quinque annorum, orbatum pio ſollicitoque admodum patre, CHRISTIANVM SAMVELEM *reliquit matri, moerore iuſtiſſimo propemodum confectae omnino,* DOROTHEAE ELISABETHAE, *e gente* ZEHIA, *coniunctiſſima ea quidem et ipſa cum* BOHNIA *et* BOSSECCIA; *in quarum altera itidem parentibus mature orbatae, ſollertiſſima atque religioſiſſima educatione frui contigerat. Haec igitur inſignibus ſui ſexus virtutibus ornata foemina, ſuſtentata tot virorum intelligentiſſimorum optimorumque conſiliis, qui conſanguinitate ipſi et amicitia iuncti erant, de me curam ita geſſit, vt iacturam in patris obitu factam vix tum ſentirem. Optime vero inter alios iſto iuuentutis primae tempore de me meritus eſt b. D.* LECHLA, *patris mei in munere ſucceſſor fideliſſimus, in cuius domo inſtitutione vſus ſum inprimis M. Reu. M.* GEHII, *vix ante annum Dresdae e vita euocati, ſenis meritiſſimi aeque ac humaniſſimi. Ab hoc tranſiui in curam fidemque immortalis apud me memoriae,* LEVSCHNERI *A. M. et concionatoris in aede academica veſpertini; fideliſſimi omninoque pietatis haud fucatae doctoris, cui maximae aliquando gratiae agendae mihi erunt inter coelites, pro ſeminibus pietatis in iuuenilem animum, non ſine fructu ſparſis. Qui cum tamen mihi matura pariter morte ereptus eſſet, res meas ita direxit Dei benigniſſimi paterna vere cura, vt eius rurſus fratri traderer, qui tum Hirſchbergae, Sileſiae inferioris celeberrimo in oppido, Prorectoris in gymnaſio frequentiſſimo munere fungebatur, poſthac vero Wratislauiam vocatus, non ante ita multos annos, vitam finiuit. Huius eruditiſſimi ac fideliſſimi*

prae-

praeceptoris institutioni, curae et amori multum omnino me debere, gratissimus profiteor. Abhinc anno quinquagesimo quinto ad paternam academiam redii, adscriptus illius ciuibus primo quidem admodum puerulus, deinceps vero Rectore experientissimo PLAZIO; *ibique in scholis* WINCKLERI, CHRISTII, BAVERI; *porro* IRMISCHII, HENTSCHII *atque* ZEMISCHII; *deinde vero quoad theologiae inprimis studium*, HEBENSTREITII, WOLLII, STEMMLERI, CRVSII *et* BOSSECCII, *viri quam maxime mihi atque vniuersae familiae nostrae venerabilis, dilecti, et de me optime meriti; et qui praeter hunc instar omnium cum reuerentiae atque admirationis non interiturae sensu nominandus erat*, ERNESTII, τȣ πάνυ, *in omni litterarum diuinarum humanarumque scientia nutritus, ornatusque consumsi annos fere integros octo. His tamen adhuc currentibus philosophiae honores primos petii atque impetraui, anno vndesexagesimo. In cathedram quoque philosophicam deductus sum a* ZEMISCHIO, *qui dissertationem* de analogia linguarum interpretationis subsidio *defendendam mihi tradiderat, anno duodesexagesimo, vt et in theologicam a S. Ven.* ERNESTIO, *cuius tertias anno sexagesimo secundo* Vindicias arbitrii diuini in religione constituenda *propugnandas susceperam. Ipso hoc anno in numerum Catechetarum ad aedem d. Petri ab inclito Senatu vrbis nostrae receptus, et quinque annis post, Sabbatici concionatoris ad aedem Thomanam, vt nominare munus istud fert consuetudo, officio admotus sum. His annis, nescio quo fato, impediri me memini non sine indignatione in me ipsum, quo minus ad academicas in docendo exercitationes viam mihi aperirem, edendo diu ante parato libello de* epistola Pauli ad Ephesios circulari. *Paucissima quaedam deinceps scribendi data est opportunitas, quae digna tamen vix videntur commemoratione. Anno septuagesimo demum a Senatu Lipsiensi vocatus*

 sum

ſum ad munus Paſtoris *in oppidulo* Taucha *prope Lipſiam, cui per integros quinque annos, non ſine vtiliſſima mihi, multa variaque exercitatione praefui. His annis ita peractis, vt memoria iſtius temporis adhuc mihi iucunda, amoriſque ciuium illius loci conſtantia non ſit dubia, redii rurſus in patriam vrbem, ibique* Noſocomii *et qui in eodem aluntur ac ſanantur aeque ac eorum, qui lubentes ex omni numero ciuium incolarumque Lipſienſium ſacris ibi faciendis ſe adiungunt, animorum curam in me ſuſcepi. In cuius officii partibus variis, quamuis vitae ac ſanitati ſubinde facile periculoſiſſimis, ita expertus ſum ſapientiſſimi ac benigniſſimi rerum mearum moderatoris prouidam curam et tutelam, vt non modo morti aliquando plane proximus, vitae incolumitatisque beneficio, praeter ſpem omnem denuo beatum me viderem; ſed et exercitatione varia eaque prorſus ſingulari indies magis inſtructus confirmatusque euaderem, adeoque poſt quinque pariter annos, grauiori officio admoueri, nullo metu aut trepidatione impeditus, poſſem. Quod factum eſt, dum ipſe venerandus vrbis noſtrae Senatus decreuerat, vt ad Diaconi tertii prouinciam, ad aedem d. Nicolai adſcenderem, extremo anno octuageſimo. Ipſi vero illi mutando domicilio atque officio deſtinati dies luctum mihi ferendum adferrebant acerbiſſimum. Funus enim dilectiſſimae matris, quae per ſingulas rerum mearum viciſſitudines a latere meo nunquam diſceſſerat, adornandum, et quae filii pietas flagitabat alia, ipſa proxime ante noui muneris auſpicia, curanda et explenda mihi erant. Verum etiam ne tum quidem ſuccumbere curis atque dolori me paſſa eſt admiranda Dei O. M. prouidentia. Ingrediebar potius nouum tramitem mihi conſtitutum diuinitus, in eoque ſenſim progreſſus vlterius ſum ita, vt poſt tres fere annos, ad medium in ordine Diaconorum locum accedere iuberer, mihique primi hebdomadis diei officium, Patronorum indulgentia faciendum maneret, In*

quo

quo ad hunc vsque diem mirifice sustentatus seruatusque sum incolumis, immo nouis fere indies viribus animi atque corporis, beneficiisque plane non numerandis auctus exornatusque. Horum in numero ponendum erat inprimis quoque hoc, quod prouida summi benefactoris diuini cura concesserat, in vita vero etiam per viginti duosque integros annos seruauerat coniugem piam, virtutis omnis studiosissimam, optimam familiâs matrem ac fidelissimam, CHRISTIANAM IOANNAM, *meritissimi atque amantissimi Viri, discipuli atque amici quondam patris mei,* CHRISTIANI ERNESTI SCHMIDTII, *A. M. atque episcopalis ecclesiae Martisburgensis antistitis et Pastoris filiam natu primam. Ex hoc coniugio praeter filiam vnicam, reliqui mihi etiam manserunt septem filii, quorum amore, parataque iamiam spe non omnino dubia, haud frustra in ipsos curam, sollicitudinemque paternam impensam videri posse, felicem me, atque multiplici affectum laetitia praedico, piaque ac grata in Deum mente, quamuis hac tam bona ac proba coniuge destitutus nunc, profiteor. Iam demum, cum non longe absim ab ineunte senectute, paratusque mihi iam ante XXII. fere annos accessus ad* S. Ven. Theologorum *academiae nostrae celeberrimae* Ordinem, *concesso tum* Baccalaurei Theologiae *nomine d. XI. Aug. MDCCLXXIV., veniam mihi dare videretur petendi ab* eodem *vlteriorem dignitatis theologicae gradum,* Principisque Serenissimi *ac* indulgentissimi *clementia iuberet, vt ab ipsis summis honoribus diutius haud excluderer; hae etiam preces meae deuotissimae dicti* Ordinis *Venerandi humanitate et bona in me voluntate ratae essent habitae; nihil mihi prius, nihil maius reliquum est, quam vt verecunde implorem gratiam Patris coelestis, per Iesum Christum, Dominum nostrum, vt beet sua clementia, atque tueatur hunc perquam venerandum Theologorum Ordinem; me vero, per Spiritum suum sanctissimum ita*

regat ac ſuſtentet, vt vtilis docendo euadam Eccleſiae Ieſu Chriſti, et vitae pariter atque doctrinae puritate, fideique conſtantia, τύπος τȣ̃ ποιμνίȣ, καὶ φανερωθέντος τȣ̃ Ἀρχιποιμένος, κομίζωμαι τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης ϛέφανον!

Currant vtiliter mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Dilectus moriar pie.

Dictae igitur disputationi defendendae deſtinatus eſt ab Ordine Noſtro menſis huius dies XV. ab hora II. pomeridiana et d. XVI. ab hora IX. matutina. Eius autem defenſione finita creabitur a me Candidatus Doctiſſimus maiorum more Theologiae Licentiatus, tumque ei a Promotore ad hunc Actum legitime conſtituto ſummi etiam in Theologia honores tribuentur. Quibus et diſputationis et renunciationis ſolemnibus vt TV, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, et VOS, SERENISSIME PRINCEPS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROCERES VTRIVSQVE CIVITATIS GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET HVMANISSIMI, frequentes fauenteſque velitis intereſſe, vt Ordinis Noſtri, ita Maxime Reuerendi Candidati quoque et meo nomine obſeruantiſſime rogo.

P. P. in Acad. Lipſ. Domin. III. p. F. Trinit. A. MDCCXCVI.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

Weiss
De homine s
se consilio dei de. vn
16

164

mine svbmittente
dei de vno Christo ...
16475

16475